



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. IV. Quod sit subjectum Baptismi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

requisita ponit. Ut patet à simili in missa ordina-
tionis, quâ Sacerdotes noviter ordinati simul con-
secrant cum Episcopo, dummodo simul eodem
instanti formam absolvant: si autem non simul
absolvant, is tantum consecrat, vel baptizat, qui
prius absolvit. *v. Fill. t. 2. cap. 4. n. 72. & Bon. l. c. a.
23. Laym. c. 7.*

D U B I U M IV.

Quod sit Subiectum Baptismi?

Resp. I. Subjectum capax Baptismi, est solus
homo vivus, ab Adamo descendens, nondum ba-
ptizatus.

Resp. II. Validè baptizantur infantes, item pe-
petuò amentes, qui nunquam usi sunt ratione
quia censentur ejusdem conditionis cum infanti-
bus. Si autem aliquando sint usi ratione, non valet
Baptismus, nisi ante amentiam petiverint,
*v. Bonac. d. 2. q. 2. p. 6. Laym. cap. 6. Unde resob-
ves.*

I. Si puer inter baptizandum, nondum finita
forma, moriatur, Baptismus est nullus.

II. Non valet Baptismus iteratus, ideoque u-
terque, tum rebaptizans, tum rebaptizatus, pec-
cant mortaliter, fiuntque irregulares, & in jure ci-
vili subjacent pœnæ mortis. Quas tamen pœ-
nas non videtur incurrere is, qui etsi sine iusta
causa rebaptizat sub conditione: quia intelligitur
de Baptismo absolutè dato, quando moraliter
constat, priorem Baptismum fuisse validum. *v. d.
Lay. c. 5. Bon. p. 5.*

III. Nondum perfectè natus est baptizandus, si sit periculum, dummodo pars aliqua possit abluī: quia est homo vivus, nec certò constat esse incapacem.

IV. Si dubium sit, an infans vivat, baptizandus est sub conditione.

V. Validè baptizatur, quem minister putat esse alium; aut licet sit puella, quam putat esse puerum: quia intendit baptizare præsentem. Aliud est in Matrimonio, quia intendit contrahere cum illa, quam putat, *Bonac. p. 4. n. 26.*

VI. Validè, etsi extra necessitatem illicitè, plures simul baptizantur, hac forma: *Ego vos baptizo,* &c. *Bonac. p. 4.*

VII. Monstrum, quod capite & pectore formam hominis refert, est baptizandum; secus si bestialem refert. Quod si verò caput tantum sit femininum, putat esse baptizandum *Cemilolus Narvar,* tamen & alii volunt differendum, donec certius cognoscatur; nisi periculum mortis immineret, tum sub conditione baptizandum esse. Quod si habeat membra hominis geminata, & dubitetur, num sit unus homo, an duo, duplex Baptismus conferendus est, unus absolurè, alter sub conditione, in ea parte, quâ membra apparent imperfectiora. *v. Laym. l. 5. tr. 2. cap. 3. Bon. p. 6. & Rituala Romanum. tit. de Baptismo.*

Resp. III. Extra mortis periculum, validè, non tamen licitè, baptizantur Ethnicorum infantes, invitis parentibus. Ratio, quia vel auferuntur parentibus, & fit illis injuria; vel relinquuntur, & fit injuria Sacramento, quod exponitur irrever-

rentiæ. Quod si tamen possint Christianè educari (ad quod tunc obligaberis) licebit in his casibus, 1. Si parentes sint tua mancipia; tunc enim tui potius sunt, quam illorum. 2. Si parentes ab uno quando fuerint baptizati, vel uterque, vel saltem alteruter: quia tunc Ecclesia jus in eos habet. 3. Si alter parentum petat: tunc enim iusta eius voluntas iniustæ alterius præferenda est, in favorem proli & fidei. 4. Si infans sit in periculo mortis. 5. Si rationis jam compos puer perat: quia in negotio religionis, est sui juris. Indubio autem de usu rationis, sufficit esse. 7. Annotum. v. Laym. de Fill. t. 2. c. 6. Bon. p. 6. n. 12.

Quæres. An Baptismus aliquando repeti possit, & quâ formâ?

Resp. Cum temerè rebaptizare sit morale et objecto, quia est in genere sacrilegii, dum conatis ministrare Sacramentum incapaci: hinc ad hoc, ut non liceat rebaptizare, non requiritur certitudo de Baptismo, sed sufficit, si pro eo sint conjecturæ; ut v. g. quod quis natus & educatus sit inter fideles, nec pro contraria parte rationes alicuius momenti occurrant: leve enim, vel metaphysicè dubium non sufficit, sed requiritur grave & mortale, vel saltem rationabile. In quo inclinandum esse in favorem baptizandi, rectè monet Laym. c. 3. ex Suar. & aliis. Unde resolves.

I. Sub conditione baptizandi sunt, 1. qui cum materia & forma, aut intentione dubia (secundum supradicta) sunt baptizati. 2. Infantes expositi, & reperti sine scheda testante de Baptismo; secus cum ea. Ita communiter, Quintanad. tamen t. 1. f. 16. c.

16 & 14. contendit etiam hos esse rebaptizandos.
 3. Baptizari ab obstetricibus veneficis; præsertim
 si falsæ, vel convictæ fuerint, aliquando non rectè
 baptizasse, *Laym. cap. 5. n. 3.*

II. Infantes ab obstetricibus, vel parentibus, vel
 cognatis, &c. ob necessitatem baptizatos, promi-
 scue omnes sub conditione rebaptizare, (quando
 obstetrices bonæ, & benè instructæ censentur,)
 non licet; quia de valore Baptismi prudenter & ra-
 tionabiliter dubitari non potest. *Suar. Laym. l. 5. t.*
2. c. 5. qui tamen contrariam consuetudinem quo-
 rundam Parochorum damnare non audent, &
 quod experientia didicerint, obstetrices non raro
 fuisse deceptas à diabolo, ideoque revera pericu-
 lum aliquod sit animæ, ob quod irreverentia
 cesset: additque eam consuetudinem approbatam
 fuisse à Pastoralis Romano edito Antverpiæ
 1607, eamque sententiam tenet *Sylv. apud Dian.*
p. 5. t. 13. R. 86. & ipse *Dian. p. 9. t. 6. R. 35.* cum aliis
 2. censet eam probabilem, habereque locum in
 omnibus baptizatis ab hæreticis, licet sint adulti;
 quod *C. de Lugo, R. mor. l. 1. d. 2.* rectè limitat ad il-
 las circumstantias, in quibus prudenter dubitari
 possit de defectu materiæ, formæ, vel intentio-
 nis. Denique *Quintan. t. 1. f. 6.* docet infantes su-
 prædictos ferè omnes rebaptizari posse sub con-
 ditione.

III. Peccat graviter Minister, qui non rebapti-
 zat eum, de quo rationale dubium juris, vel fa-
 cti manet, num validè sit baptizatus: quia te-
 netur proximum liberare probabili periculo gra-
 vis mali, cum facile potest, *Lay. l. c. Quint. l. c. 2.* Si

non diligenter inquirat in talis Baptismi valorem nisi de hoc aliunde constet. *Quint. l. 1. §. 6. & 7.*

IV. Non est rebaptizandus, de cuius Baptismo habetur testimonium unius oculati testis, licet fœminæ; dummodo non sit suspecta, nec alius obster. *Laym. l. c.*

V. Qui verè & rationabiliter dubitat de suo Baptismo, tenetur petere Baptismum, & Parochum ei conferre. *Quint. l. c. §. 13. & 19.* & interea abstinere ab usu aliorum Sacramentorum.

Resp. II. Baptismus sub conditione, hac forma conferendus est: *Si baptizatus es, non te baptizandum es baptizatus, Ego te baptizo, in nomine &c.* Ac licet sufficiat, sola mente conditionem proponere, si ex omissione non timeatur scandalum; tutius tamen est, exprimere verba saltem ista: *Si non es baptizatus, &c.* *vid. Tol. l. 2. c. 19. Laym. l. Suar. d. 31. Fill. t. 2. c. 4. q. 9.* Patrinus autem in hoc Baptismo necessarius non est, nec adhibendus. *Quint. l. c. §. 18.*

DUBIUM V.

De Cæremoniis Baptismi.

ARTICULUS I.

Quæ servanda circa cæremonias baptizandi?

Resp. Cæremoniæ Baptismi petendæ sunt ex Agenda cujusq; Ecclesiæ. Universim tamen circa eas servanda sequentia. I. Baptismum extra ne-